

410 (Q. 231) De Patroni loci et de Titulari Ecclesiæ quod describitur inter Commemorationes communes. (Decret. 16 Octobris 1743, n. 2374, antiq. 4149.) Idem dicendum si aut S. Petrus, aut S. Paulus, sub quocumque peculiari Titulo, aut quacumque ratione, est Titularis.

Hoc Suffragium de SS. Apostolis Petro et Paulo non omittitur in Officio votivo de SS. Apostolis, quod Feria III recitatur. (Decret. 24 Novembris 1883, n. 3597, antiq. 5896, ad 7.)

II. Clerici qui quotannis ad exercitia spiritualia sub directione Patrum Societatis Jesu obeunda, in Seminarium Mechliniense conveniunt, ibique in Sacello Seminarii Officium divinum modo quasi choraliter insimul persolvunt, quando dicenda sunt in Officio Suffragia, omisso Suffragio Titularis Ecclesiæ propriæ cui adscripti sunt, vel Patroni loci quem inhabitant, omnes dicunt pro Suffragio Titularis Suffragium in Seminario communiter dictum; juxta Indultum 7 Julii 1864. (Cfr. dicta Q. 99, sub 8°.)

## PARS QUARTA

### CÆREMONIÆ SERVANDÆ CUM OFFICIUM DIVINUM SOLEMNITER CANTATUR

Cum præter Officium Vesperarum, diebus Dominicis et Festis, et Officium Defunctorum, diebus solemnioribus Defunctorum, nullæ aut fere nullæ Officii divini partes in Ecclesiis parochialibus cum cantu peragantur, sufficet horum duorum Officiorum cæremonias describere.

### ARTICULUS I

#### De Vesperis

232. I. Ordinarie in Ecclesiis parochialibus ad Vesperas Celebrans Officio fungitur, assistentibus solum duobus Acolythis et Thuriferario.

2. Altare ornatum erit sex candelabris cum cereis, et Cruce; a latere Epistolæ in plano parabitur scamnum pro Celebrante, coopertum tapete, et ante scamnum legile majus cum Breviario vel Vespérali, tectum panno serico coloris Officii.

3. Color paramentorum tam Altaris quam Celebrantis erit Officii cujus dicuntur Vesperæ integræ; si autem Vesperæ dicantur a Capitulo de sequenti, ab initio Vesperarum adhibebitur color qui congruit Officio cujus dicitur Capitulum.

4. In Sacratio ministri induent superpelliceum, Celebrans parabitur super superpelliceum pluviali.

S. Rituum Congregatio pluribus Decretis interdixit cuicumque usum stolæ in Vesperis solemnibus. Si tamen ante Vesperas exponitur SS. Sacramentum, et immediate post eas Benedictio cum SS. Sacramento datur, Celebrans induere poterit stolam ab initio Vesperarum. (Decret. 19 Septembris 1883, n. 3593, antiq. 5892, ad 2.)

5. Celebrans paratus, facta inclinatione Imagini sacristiæ, cooperto capite procedit ad Altare, præcedentibus Acolythis cum candelabris et cereis accensis. Ad

Altare, deposito bireto, facit ante gradus Cruci profundam capitis et humerorum inclinationem, aut coram Tabernaculo genuflexionem in plano, et mox genuflexus in infimo gradu dicit Orationem *Aperi, etc.* — Acolythy accedentes ad Altare, hinc inde a lateribus Celebrantis genuflectunt in plano, et mox accedentes ad partem Epistolæ, deponunt ibi sua candelabra in infimum gradum. Secundus Acolythus cereos extinguit utriusque candelabri (nisi SS. Sacramentum esset expositum), et accedit ad credentiam, ibique genuflectit, et deinde simul cum Celebrante assurgit. — Acolythus primus revertitur ad Celebrantem, ejusque biretum assumit, et genuflectit, dein cum Celebrante tendit ad scamnum ibique stat ad dexteram Celebrantis; cum postea sedet Celebrans, ei biretum tradit, et deinde accedit ad credentiam.

6. Celebrans, dicta Oratione *Aperi*, assurgit, et facta aut inclinatione profunda Cruci, aut genuflexione in infimo gradu coram Tabernaculo, manibus junctis accedit ad latus Epistolæ ante scamnum, et dicit secreto *Pater et Ave*. Deinde intonat: *Deus in adjutorium meum intende*, efficiens simul signum Crucis a fronte ad pectus; inclinatur capite ad *Gloria Patri... sancto*, et incepto primo versu Psalmi, sedet, et caput cooperit.

Ad finem Psalmorum, quum canitur: *Gloria Patri... sancto*, item in Psalmo *Laudate pueri* ad verba: *Sit nomen Domini benedictum*, detecto capite, caput profunde inclinatur. Item detegit caput et inclinatur ad nomina *Jesu, Mariae*, et Sanctorum quorum Officium dicitur aut fit specialis Commemoratio.

7. Ante *Gloria Patri* in fine quinti Psalmi, Acolythus primus accendit candelas in infimo gradu ad latus Epistolæ positas; et paulo antequam cantus Antiphonæ finiatur, Acolythy duo accedunt ad Celebrantem, et inclinatione ei facta, assumunt candelabra eaque ab utroque ejus latere sustinent, conversi alter ad alterum.

8. Antiphonæ quintæ absoluto cantu, Celebrans caput aperiens assurgit, et Capitulum cantat. — Postquam Capitulum cantavit Celebrans, Acolythy reponunt sua candelabra, et inclinatione facta Celebranti, revertuntur ad credentiam. Quando tamen cantantur

Hymni *Veni Creator*, aut *Ave, maris stella*, sub quorum prima strophæ omnes genuflectunt, ut dicetur numero sequenti, Acolythy post Capitulum remanent prope Celebrantem erecti, tenentes candelabra per totam stropham.

9. Celebrans stat, dum cantatur Hymnus et Versus. Genuflectit tamen in infimo gradu a parte Epistolæ, et genuflectunt omnes alii qui adsunt (præter Acolythos, ut numero præcedenti dicitur pro duobus Hymnis), dum cantatur prima strophæ Hymni *Ave, maris stella*, et Hymni *Veni Creator*; item dum cantatur in Hymno *Pange lingua* tota strophæ *Tantum ergo*, sed tantum coram SS. Sacramento exposito, vel saltem in Tabernaculo recondito; et in Hymno *Vexilla Regis* ad totam stropham *O Crux, ave*.

In Vesperis solet organum pulsari alternatim in strophis Hymni; attamen advertendum erit, ut, quodcumque per organum figuratur aliquid cantari, intelligibili voce pronuntietur id quod ab organo respondendum est. Regulare etiam est, ut strophæ Hymnorum in quibus est genuflectendum, cantentur semper a Choro, non autem ab organo, etiamsi strophæ immediate præcedens a Choro fuisset decantata; idemque servatur pro ultimis strophis Hymnorum.

10. Dum canitur Antiphona ad *Magnificat*, Celebrans sedet et caput cooperit. Accedit ad credentiam Thuriferarius cum thuribulo et navicula.

NOTA. Thurificatio Altaris in Vesperis fieri debet, etiamsi solus Celebrans sit paratus, sine Ministris. (Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Februarii 1895, n. 3844, ad 2.)

11. Cum canitur Canticum *Magnificat*, Celebrans, detecto capite, assurgit, deponit biretum in scamno, signat se Cruce a fronte ad pectus, et manibus junctis accedit ante Altare, et facta profunda inclinatione capitis ad Crucem, vel genuflexione in infimo gradu coram Tabernaculo, ascendit. — Accedunt ad Altare Thuriferarius cum thuribulo, et Acolythus cum navicula, qui, facta genuflexione in plano, ascendunt prope Celebrantem. Acolythus stat ad sinistram Thuriferarii. Celebrans osculatur Altare ut alias in Missis, seseque

convertit versus latus Epistolæ quin de medio discedat, et imponit incensum cum benedictione : *Ab illo benedicaris, etc.*, dum interea Acolythus sinistra fimbriam pluvialis attollit ad dexteram Celebrantis. Thuriferarius tradit cum osculo manus Celebranti thuribulum, et Celebrans Altare incensat, eodem prorsus modo quo ad initium Missæ ante Introitum præscribitur ; interea Thuriferarius attollit fimbriam pluvialis ad dexteram Celebrantis, et genuflectit quoties Celebrans vel caput inclinatur vel genuflectit. — Thurificatione peracta, Celebrans in latere Epistolæ reddit thuribulum Thuriferario, revertitur ad medium, caput inclinatur, descendit, et facta inclinatione capitis aut genuflexione, uti in accessu, revertitur ad scamnum. Conversus ad Thuriferarium incensatur triplici ductu, et deinde stat usque ad finem Cantici. — Thuriferarius, accepto cum osculo manus Celebrantis thuribulo in cornu Epistolæ, descendit ad planum, et ab eodem latere expectat adventum Celebrantis ; dein stans ad angulum gradus infimi, Celebrantem incensat triplici ductu, facta ante et post capitis inclinatione ; accedit ad Acolythos eosque incensat unico ductu ; deinde, genuflexione ad Crucem Altaris facta, tendit ad ingressum chori vel presbyterii, et stans in medio conversus ad populum, incensat populum triplici ductu, in medio, ad suam sinistram, ad suam dexteram ; et revertitur ad credentiam.

Notatur quod, si ad Vesperas cantandas Celebrans non esset paratus pluviali, omittenda foret Altaris incensatio.

12. Dum cantatur Antiphona post Canticum, Celebrans accipit biretum, sedet, et caput cooperit.

13. Repetita Antiphona, Celebrans caput detegit, assurgit, deponit biretum, et manibus junctis, cantat : *Dominus vobiscum*, et Orationes eodem tono quo in Missa. — Circa finem Antiphonæ Acolythi accedunt ad Celebrantem, et inclinatione ei facta, accipiunt candelabra, eaque ab utroque ejus latere sustinent, conversi alter ad alterum, usque ad finem Orationum.

14. Post Orationes, Celebrans cantat : *Dominus vobiscum* ; Cantores altiori voce cantant : *Benedicamus Domino* ; et Celebrans remissiori voce subdit *ŷ. Fide-*

*lium animæ*. Dum cantatur *Benedicamus Domino*, Acolythi sua candelabra reponunt a latere Epistolæ, et facta inclinatione Celebranti, recedunt ad credentiam.

15. Post *ŷ. Fidelium*, Celebrans remanens in loco suo, recitat secreto *Pater noster*, et mediocri voce dicit : *Dominus det nobis suam pacem*. Dein eadem voce dicitur Antiphona B. Mariæ V., et Versus, infra quæ Celebrans stat toto tempore Paschali, et omnibus diebus Dominicis a primis Vesperis in Sabbato, alias vero genuflectit in infimo gradu. Stat vero semper dum dicit tono feriali Orationem, et *ŷ. Divinum auxilium, etc.*

16. Dicta Oratione, Celebrans accipit biretum, Acolythi accedentes accipiunt candelabra sua, et omnes accedunt ante Altare, ubi Celebrans vel caput et humeros profunde inclinatur ad Crucem, vel genuflectit in plano coram Tabernaculo ; Acolythi, quibus se adjungit Thuriferarius, genuflectunt in plano ; et præcedente Thuriferario, revertuntur ad sacristiam, vel statim procedunt ad expositionem SS. Sacramenti, si solet post Vesperas dari Benedictio cum SS. Sacramento.

233. 1. Nonnumquam in Festis solemnioribus per annum solent Vesperæ in quibusdam Ecclesiis parochialibus cantari cum duobus Assistentibus. Isti induere debent superpelliceum, cui superimponere possunt pluviale.

Non conforme est regulis Vesperarum in Cæremoniale Episcoporum traditis, ut Assistentes indumenta Diaconi et Subdiaconi assumant ; et auctores nequidem in casu Benedictionis cum SS. Sacramento post Vesperas dandæ, alia paramenta pro Assistentibus præscribunt quam superpelliceum et pluviale : in tali etenim casu, pro expositione SS. Sacramenti ante Vesperas et repositione post Vesperas, assistit alius Sacerdos indutus superpelliceo, qui stolam insuper in ipso actu expositionis et repositionis assumit.

2. Assistentes seu Pluvialistæ, facta inclinatione Imagini sacristiæ, cooperto capite incedunt ad utrumque latus Celebrantis, fimbriam ejus pluvialis tenentes, et ante Altare detecto capite, cum Celebrante profunde

inclinantur ad Crucem, vel genuflectunt in plano coram Tabernaculo, et mox genuflexi in infimo gradu, recitant Orationem *Aperi*.

3. Iterata inclinatione, vel genuflexione in infimo gradu, accedunt ad scamnum, et cum Celebrans intonat: *Deus in adjutorium, etc.*, prior Assistens elevat fimbriam pluvialis Celebrantis. Dein cum Celebrante sedent cooperto capite. Cum Celebrante detegunt caput, inclinantur, surgunt, sedent vel genuflectunt, quoties in præcedentibus numeris præscriptum est.

4. Ad *Magnificat*, deposito bireto, accedunt ad Altare, et faciunt diversas reverentias cum Celebrante; prior Pluvialista cum osculis ministrat incensum dicens: *Benedicite, Pater reverende*, et thuribulum; et in ipsa incensatione uterque tenet fimbriam pluvialis Celebrantis; finita ad cornu Epistolæ incensatione Altaris, Pluvialista prior cum osculis recipit thuribulum a Celebrante, illudque statim tradit Thuriferario; deinde ambo cum Celebrante revertuntur ad medium Altaris, et inde ad scamnum.

5. Postquam Celebrans ad scamnum reversus est, prior Pluvialista ante scamnum iterum recipit thuribulum, et incensat Celebrantem triplici ductu, facta ante et post inclinatione; reddito thuribulo, accedit ad locum suum ad dexteram Celebrantis, ubi et ipse incensatur a Thuriferario duplici ductu, dein incensatur itidem alter Pluvialista.

6. Cantatis Vesperis, eodem quo venerunt modo, a scamno ad Altare accedunt, et ad sacristiam revertuntur.

Omittitur expositio cæremoniarum quæ servari debent, cum in Vesperis solemniter celebrandis Pluvialistæ quatuor vel sex intersunt, cum rarius hæc in Ecclesiis parochialibus fiat, et quæ tunc servanda sunt, describantur in Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. III.

## ARTICULUS II

## De Officio Defunctorum

234. Officium Defunctorum complectitur Vesperas, Matutinum et Laudes.

## § 1. De Vesperis

1. Altare ornabitur Cruce, et candelabris sex cum candelis ex cera communi; nullus ornatus apponi potest inter candelabra. Ante Altare statuitur antependium nigrum, et suppedaneum cooperitur tapete nigro, vel violaceo. Prope latus Epistolæ præparatur scamnum nudum vel coopertum panno violaceo, et ante scamnum legile nudum cum Breviario.

2. In sacristia præparatur pro Celebrante superpelliceum, et pluviale nigrum, vel saltem stola nigra (Decret. S. Rituum Congregationis, 12 Augusti 1854, n. 3029, antiq. 5208, ad 8 et 9); reliqui omnes induunt tantum superpelliceum.

3. Celebrans, præcedentibus Acolythis sine candelabris, accedit ad Altare, et deposito bireto, ac facta inclinatione profunda ad Crucem, vel genuflexione ad Tabernaculum, statim accedit ad scamnum. Reliqui omnes accedunt ad chorum; Acolythis stant ad credentiam.

4. Chorus Cantorum incipit Vesperas, canendo Antiphonas et Psalmos. Intonato Psalmo *Dilexi*, Celebrans sedet et caput cooperit; item sedent omnes et caput cooperiunt. (Notandum est quod Antiphonæ cantantur ritu duplici in annua Commemoratione omnium Defunctorum die 2 Novembris, et in diebus depositionis, tertio, septimo, trigesimo et anniversario Defunctorum.)

5. Ad intonationem Cantici *Magnificat*, Celebrans et omnes alii assurgunt capite nudato, et iterum sedent ac caput cooperiunt, cum repetitur Antiphona ejusdem Cantici.

6. Completo Antiphonæ cantu, Celebrans detecto capite assurgit, et genuflectit in infimo gradu a parte Epistolæ; item omnes de choro detecto capite procum-

bunt in genua ; et Celebrans cantat Preces ; solus Celebrans assurgit cum dicit : *Dominus vobiscum* ; tono feriali simplici cantat Orationem, dein *Ÿ. Requiem* ; Cantores cantant sequentem *Ÿ. Requiescant in pace* ; atque ita fiet Vesperarum finis. Celebrans accedit ante Altare, et facta inclinatione, vel genuflexione, sicut in accessu, præcedentibus Acolythis, revertitur ad sacrarium.

### § 2. De Matutino et Laudibus

1. Altare ornatur ut supra pro Vesperis præscribitur, sed non præparantur scamnum aut legile ad latus Epistolæ ; Celebrans enim occupat primum a parte Evangelii chori subsellium. In medio chori statuitur legile nudum cum Breviario, ad canendas Lectiones.

2. Celebrans induitur superpelliceo, et pluviali nigro, aut saltem stola nigra ; reliqui omnes induuntur superpelliceo ; et accedunt omnes ad loca præparata in choro. Celebrans accedit ad Altare, inclinatur profunde ad Crucem, vel genuflectit coram Tabernaculo, et mox in ultimo gradu genuflexus brevem dicit Orationem, dein iterata reverentia, accedit ad primum locum præparatum a parte Evangelii.

3. Omnibus paratis, duo Cantores procedunt ad legile in medio chori positum, et genuflexionem ad Altare, inclinationemque ad chorum, primum a sinistris dein a dextris, exsequuntur. Celebrans et omnes assurgunt, et Cantores incipiunt Invitorium ; Clerus respondet, et ad verba *Venite adoremus et procidamus ante Deum*, omnes conversi ad Crucem Altaris genuflectunt.

4. Completo Invitatorii cantu, duo Cantores, iteratis reverentiis ad Altare et ad chorum, redeunt ad locum suum.

5. Chorus statim incipit cantare Antiphonam, et incepto primo Psalmo, Celebrans et chorus considunt, cooperto capite.

6. Post Versum Nocturni, assurgunt Celebrans et Clerus, et recitant secreto *Pater noster*.

7. Comitante Cæremoniario, accedit ad legile, in medio chori positum, qui cantaturus est primam Lectionem, et peracta ad Altare genuflexione, ac ad chorum incli-

natione, cum omnes sederint post *Pater noster*, cantat primam Lectionem.

8. Terminata Lectione, Lector iteratis reverentiis ad Altare et ad chorum, redit ad locum suum et sedet. Interea a Cantoribus cantatur Responsorium, et in fine Responsorii accedit, eodem modo quo præcedens, sequens Lector ad legendam Lectionem.

9. Nonam Lectionem non cantat Celebrans, sed aliquis seniorum, ad legile in medio chori ; cum cantatur nonum Responsorium, amovetur e medio chori legile.

10. Statim post nonum Responsorium, Cantores cantant Antiphonam Laudum, ad cujus intonationem neque Celebrans neque chorus assurgunt. Laudes cantantur sicut Vesperæ. Quum incipitur Canticum *Benedictus*, omnes assurgunt, et resedent ad repetitionem Antiphonæ ; dein omnes procumbunt in genua, et dicuntur Preces et Oratio, sicut in Vesperis.

11. Terminato Officio, chorus assurgit, et ordine usitato bini et bini omnes revertuntur ad sacristiam, facta genuflexione ante Crucem Altaris. Ultimo loco incedit Celebrans, qui in medio ante Altare vel profunde inclinatur ad Crucem, vel genuflectit coram Tabernaculo.

## APPENDIX

### 235. De servandis in privata Officii divini recitatione

1. Oratio *Aperi* ante Officium, et Oratio *Sacrosanctæ* (a S. Bonaventura composita) post Officium non sunt de præcepto, sed valde consuluntur. Ecclesiam maxime in votis habere ut Oratio *Aperi* numquam omittatur, satis patet : ejus enim recitatio est præparatio ad rite dicendum Officium divinum maxime congrua. Quoad Orationem *Sacrosanctæ* notandum venit, quod ad lucrandum indulgentiam vel fructum hujus Orationis, necessario flexis genibus sit dicenda, et nequidem in casu legitimi impedimenti ambulando vel sedendo recitari valeat. Attamen Pius IX, ex speciali gratia clementer indulget, ut Oratio, pro lucranda indulgentia a Leone X adnexa, seu fructu dictæ Orationis, etiam non flexis genibus recitari possit ab iis qui legitime im-